UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Patroclvs Conf. 19. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70962

Visual Library

vas vidit cumprimis elegans, sed serpentibus plenum. Monuit scilicet iterum cælum, quod ipse Maro, anguem ut juventus caveat in herbâ latentem, dum fraga legit. Noster deinceps precibus ad D. Martini noctes invigilavit, quò sæpiùs euntem cùm ex itinere vulpes infestarent, mirum dictu suppetias contra has lupus tulit, idem deinde ODONIS hospes ædiumque non ridiculus jam custos. Sub hæc dnm Lutetiæ Parisiorum amplius literis operam navat, ab ipso Greg. Pont. noctu calamum dono accipere visus est, quo magni Doctoris moralia, ut ajunt, sparsa omnibus libris in unum corpus colligeret. Iam monachus laboravit tam diu, quoad monachum etiam pater, mater velum indueret inter virgines. Abbas Gigniacensis mox Cluniacensis miranda & fecit & passus est, dum collapsam monasteriorum disciplinam erexit. Ad extremum æger Romæ impetravit, ut redire in patriam liceret. Ibi denique vitam posuit ubi accepit, ad D. Martini tumulum. *Ex Surio.*

S. PATROCLVS CONF.

19. *Novembris.*

GEnus & origo PATROCLO humilis fuit, sed indoles næ generosa, quę tum se prodidit, cùm rus ad oves est ablegata, fratre Antonio ad ludum lite-

literarium amandato. Etenim cùm hic oblitus eodem ovo se prognatum fratrem opilionem aversaretur musarum pullus, tam ille succensuit silvis, ut relicto in his pane ad Apollinis castra etjam ipse transfugerit, nec multò pòst ostenderit, non ingenio, non studio se fratri, solo fastu cedere. Ita hodie etiam videas convitiis (veluti ventis incēdia) non extingui, sed ali artes. Cæterùm ab Apolline transiit ad sacra; ab his ad solitarium locum, & operam in erudiendâ juventute posuit, fuitque omne Minerval *una* DEI *gloria*. Inde quoque, ubi solum esse non permiserunt prodigia, in silvas aufugit, cùm loci ac sacelli heredes sacras virgines instituisset. Sed & silvæ miraculis coruscarunt viri, & dæmon pulsus ex hominibus passim per urbes famam PATROCLI ferebat. Pulsurus tamen vicissim statione suâ hostem veterator cogitationē de reditu ad urbes ingessit. Hîc Tutelaris Angelus conscendere secum columnam jussit, indeque totam mundi tragœdiam, hoc est, furta, rapinas, adulteria ac denique horum omnium Epilogum interitum jussit spectare. Dedit lacrimas arbiter ludi PATROCLVS, nec placuit jam spectare, minùs agere fabulam tam funestam; quin totus mundo ut exiret, ad cælum abiit. A morte pluribus cœcis oculos aperuit: utinā nobis

etiam, quò nempe mundum iis, quibus ille, oculis aſpiceremus. *Ex Surio.*

S. ELISABETHA VIDVA.
19. *Novembris.*

AGe ſuperbe, qui deficiente animo ELISABETHAM ad Servatoris Chriſti effigiem vides, audi etiam quæ dolor intus loquitur. *Nimirum me terræ pulviſculum purpuræ involvit, tu, mi Chriſte, heu! nudus meam erubeſcis ſpeciem. Mihi corona auro & gemmis, tibi ſpinis & ſentibus riget. Ego pulvinaria calco, tu locum capiti circumſpicis, nec, eheu! invenis. Me aulæ ſervitia vallant, te ſoli hoſtes ſtipant. I, purpura; rectiùs ſanguis me Sponſi pinget. Ite gemmæ; nobiliorem ſub cruce legam. Abi gravis auro corona; roſas è ſpinis nectam. Tollite pulvillos; Crux, Sponſæ erit lectulus. Secedite amicorum cohors; dolores me rectiùs ambient.* Hæc inquam tantum apud ELISABETHAM potuêre, ut jam ſe ipſa ſuperbior omnem pedibus mundum ſubderet, totamque miſerorum ſe ſervitiis addiceret. Ergo igitur extructo quàm ampliſſimo Xenodochio, ingentis familiæ mater nongentis quotidie victum ipſa miniſtrare, aquam capiti pedibuſque affundere, ſordes abſtergere, ipſa adeò fœdiſſima ulcera nobiliſſimis oſculis honorare. quid? quod conjuge è vivis erepto, arce pulſa omnis in-